



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XVI. Quod qui semel officio suo functus est, de cetero eius iurisdictio cessat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

staret eum per vim T. clerici, metu regio cooperante, ecclesiam de Gitebergia, quam se asserit per annos pacifice possedisse, iam pridem iuramento præstito refutasse, eandem ecclesiam ei restitueres. Prædictus vero T. alias literas a nobis posterius impetratas, ad alios iudices super eodem negotio reportauit, & sic causa ipsa sub vestro non fuit examine terminata. Mandamus itaque fraternitati vestræ atque prudentiæ, quatenus non obstantibus literis a memorato T. posterius impetratis, nisi ibi contineatur * expressum, quod causam ipsam vestro iudicio subtraxerimus, vtramque partem ante vos conuocetis, & eidem causæ iuxta tenorem alterarum literarum nostrarum, sublato appellationis remedio, non differatis debitum finem imponere.

* expressum,

C A P. XVI. *Idem * Lexoniensi archiepiscopo.*

In literis quas tua nobis destinauit fraternitas, quaestiones quasdam inseruisti, super quibus solutionem tibi a nobis postulas exhiberi: quarum siquidem vna est, scilicet, vsque ad quod tempus iudex delegatus se possit interponere, vt stetur rei iudicatæ vel transactioni. Super quo vtique paternitati tuæ taliter respondemus, quod ex quo iudex delegatus per se aut per alium, si potuit, executioni mandauerit, vel pro se petierit mandari, eius auctoritas & iurisdictio cessat, quia semel functus est officio suo.

Semel officio suo functus de cetero non fungi.

C A P. XVII. *Idem abbati sancti Albani.*

Consultationibus singulorum ex ministerio susceptæ seruitutis cogimur respondere, vt si quid dubietatis vel quaestionis in mentem alicuius emerferit, ab ecclesia Romana soluatur, quæ inter alias, disponente Domino, obtinere meruit principatum. Quæsitum est siquidem a vobis, vt si quis ecclesia vel possessione aliqua se assuetans absque iudicio & causa rationabili spoliatum, & a nobis ad iudices literas obtinuerit, vt infra certum tempus restituatur sibi possessio: si constiterit iudici, eum esse taliter spoliatum, possessio debet ei restitui, cum is qui tenet ecclesiam, vel postquam ipse requirit, antequam de literis aliqua mentio fieret, studiorum, peregrinationis,

Math. 16.

Concil. Tom. 27.

Zzz